

morum Successorum servitio conservandis et manutenendis propriis similiter sumptibus, curam ac solitudinem se impensuros et eo applicaturos prompte et resolute promississent et declarassent. Horum itaque tam rari meriti et alti pretii operum atque servitiorum justo ex respectu, et intuitu, et ut hac infrascripta Resolutione et condescensione Nostra modernis Dominis Statibus et eorum Successoribus in vicem debitae laborum et meritorum suorum gratitudinis et recognitionis, pro ipsorum apud Nos propterea in Anno currenti, die vero vigesima nona Mensis Maii Viennae Austriae, medio Perillustris ac Generosi Domini Georgii Plemich, Sacratissimae Maiestatis Caesareae et Regiae Consiliarij ac Praefatorum Regnorum Magistri Prothonotarii, et in moderna quoque eorum Generali hic Zagrabiae celebrata Congregatione, facta Instantia, Eisdem Dominos Status et Ordines justo hoc ipsisque a pridem debito et competenti medio consolaremur, statuimus et resolvimus, promittimusque et obligamus Nos et Vniversos in praemisso Banatus Officio Successores Nostros, pro immunitate et praerogativa eorundem Dominorum Statuum et Ordinum praenominatorum Regnorum, Conditiones infrascriptas perpetuo observaturos. Primo: ne extranei in Stipendia, minus in Officia Confiniaria nunc vel in futurum praeter expressum praefatorum Dominorum Statuum et Ordinum assensum promoveantur; sed Stipendia eiusmodi et Officia Nationalibus duntaxat conferantur. Secundo: ne ammodo Officia Confiniaria incipiendo a Vayvodatu inclusive altiora ulla, praeterquam cum voto et praesentatione per Dominos Status et Ordines fienda, Subiectorum Trium in re militari expertorum, habita etiam praestitorum Servitiorum bellicorum ratione, a Nobis Comite Bano vel Successoribus Nostris conferantur. Salvo tamen et eo modo Dominorum Vice-Capitaneorum debito Interesse. Tertio: ut absente Comite Bano e Regno, Confiniorum molles et Gubernium integrale per Subalternum sibi Regnicolam cum cointelligentia et relatione ad Dominos Status sustineatur et administretur. Quarto: Dominis Statibus liberum erit et admissum, medio constituendorum et exmittendorum Commissariorum suorum annis singulis militiam Confiniariam et Praesidia, Confiniaque universa lustrare, cum Officialibus, remque militarem et suppellectilem tractantibus rationem inire, de succumbentibus Executione mediante satisfactionem (praevio tamen ad Dominum Banum desuper recursu) sibi impendere. Quinto: ut Commissariis Regni in Confiniis constitutis per Officiales et milites Confiniarios alter immediate post Dominum Banum honor et autoritas tribuatur. In quorum omnium firmitatem perpetuam inviolabiliter observandam, praesentes Litteras nostras sub authentico Sigillo nostro Banali ac manus Nostrae propriae subscriptione memoratis Dominis Statibus et Ordinibus antefatorum Regnorum extradandas esse duximus et concedendas. Datum Zagrabiae Die Trigesima Mensis Septembris, Anno Domini Millesimo Septingentesimo.

Comes Adamus de Batthyán m. p.

(*Sigillum authenticum Banale impressum.*)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae Priv. Nr. 140.